



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

Ex Cap. Quæsitum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

Urbanus III.

*Q*uæsitum est ex parte tua, si commutationes fieri valeant prabendarum; cum commutatio dignitarum in Turonensi concilio fuerit interdicta. Sunt enim quidam qui prabenda sua cedunt, & iuri renunciant, vt maiorem prabendam obtineant, vel hoc certam summam pecunia consequantur. quod eisdem honestati est contrarium, & simoniacam proculdubio continet prauitatem. Generaliter itaque teneas, quod commutationes prabendarum de iure fieri non possunt, præsertim cum pacto præmissa, qua circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem continet semper simonie. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licet poterit in uno loco ad alium transferre personas: vt quæ vni loco minus sunt vtilis, alibi se valeat vtilius exercere.

Urbanus hic Tertius vnico duntaxat intermedio Lucio 3. mox Alexandrum III. secutus est successor; qui quod ab Alexandro constitutum fuerat in illo Concilio Turonensi paulò superius memorato de non permutandis dignitatibus ecclesiasticis, id ipsum generaliter de Præbendis vel beneficiis omnibus ecclesiasticis (præsertim pacto præmissa) permutandis constituit: permittens tamen Episcopis potestate transferendi personas ecclesiasticas in alium locum si causa subsit idonea. Præfuit autem Urbanus is Apostolicæ sedi ante annos iam præcise quadringentos, cum Synodus illa Turonensis viginti circiter annis antè fuisset celebrata,

38

*Argumentum  
huius Capit.*

39

*Tempus.*

brata, nempe sub annum Christi millesimum centesimum sexagesimum quartum sicut ad Siegeberti Gemblacensis Chronica videmus adnotatum. Reperit itaque nobis hoc permutationum beneficialium ius primū Gallia, cuius mali mores per tēpora planè schismatica (dum alij Clericorum Frederico Imperatori in ecclesiam catholicam sœuienti, alij falsis adherere Papis, alij legitimo suo coniungi desiderabant Pontifici videlicet Alexandro III.) bonarum constitutionum harum primam dederunt occasionem. Contextus integer ex editionibus antiquis erit examinandus.

40  
Occasio primari permutationum beneficialium è schismatibus.

Ait Pont. *Commutationes Prabendarum.* Permutationem dicas an commutationem nihil refert. res est eadem, quam vel definire vel describere nihil attinet, cum satis nota sit ex iure civili l. i. ff. de rerum permutat. quin & ex apertissima per sese vulgoque notissima vocis acceptione, rei scilicet pro re datione. Quamquam semper meminisse debemus ac mordicus retinere, id quod ex eadem l. i. fere depromptum Pontifex inculcat alibi, Permutationem inter contractus bonæ fidei computari neque cum alio quàm cum Domino vel cum eo qui habebatur loco Domini legitime posse celebrari. c. cum venerabilis. vers. ad hæc. in verb. cum permutatio. de except. Quo ex fundamento non paucarum dependet quæstionum grauissimè controuerti solitarum resolutio. quarum princeps & prima sit hæc, An ex causa permutationis resignari beneficium possit alicui

41  
Permutatio quid.

alicui tali qui nullum prorsus habeat benefi-  
 cium quod vicissim reddat. pone, quod fre-  
 quenter accidit, obtingere cuipiam beneficium  
 aliquod pinguius quàm sit illud quod nũc ha-  
 bet, aut alioqui desiderare beneficium quod  
 vicissim habet in amicum quempiam suum be-  
 neficiis omnibus destitutum vel aliàs inopem  
 transferre. quod quia facilè præuidet efficere  
 non posse per aliam viam quàm per ius per-  
 mutationis (cùm neque collator ipse sit, neque  
 collatoris voluntate multum speret si sim-  
 pliciter beneficium resignaret ac amicũ dum-  
 taxat commendaret, neque semper Pontifex  
 commodè possit adiri qui resignationes in fa-  
 vorem quæ dicuntur solus admittere potest)  
 quale capiat cum amiculo illo suo confi-  
 sum. resignat cum consensu collatoris ordi-  
 narij suum beneficium ex causa permutationis  
 cum amico illo suo peragendæ. amicus iste vi-  
 cissim resignat vel se resignaturum dicit bene-  
 ficium tale vel tale quod nominat, quod ta-  
 men ipsius non est, cùm nullũ prorsus habeat.  
 ita confert ordinarius huic beneficium illud  
 ab altero resignatum. Quæritur an canonica  
 seu legitima iustæ sit hæc permutatio, vel  
 canonicus ad beneficium hoc ingressus vel re-  
 gis regiaque beneficiorum adipiscendorũ via.  
 Respondet Petrus Rebuffus in sua praxi bene-  
 ficiorum parte 3. tit. de permutat. nu. 14. & 15.  
 permutationem talem quantumlibet fictam  
 esse, cùm nullius interfit præterquam com-  
 mutantis qui contentus est nihil sibi vicissim  
 b præsta-

42  
 An valeat  
 permutatio  
 beneficij cum  
 non habente  
 beneficium  
 quod vicissim  
 recipiatur.

43  
 Rebuffus ve-  
 furatus.

præstari per compermutantem, vocatque me-  
 dium hoc subtile quidem sed iustissimum, ne  
 fraudem committant ordinarij scilicet in con-  
 ferendo beneficium hoc alteri quam cui desi-  
 gnans conferri volebat. nam si dedi tibi rem ex  
 causa permutationis, & postea nolim ego eam  
 sed sim cōtentus eam tibi dare vel ut eam quo-  
 que retineas, non fit irrita propter hoc perma-  
 tatio d. l. i. π. de rer. permutat & ibi DD. ita nec  
 infringitur (inquit) beneficij permutatio, si  
 pars non conqueratur; quia si partes sint con-  
 cordes quid ad iudicem? l. i. §. inde quæritur.  
 π. de oper. noui nunciat. Sed exitialis est hæc  
 profectò sententia vereque Saturnina, menti-  
 bus ac animis perniciosissima, quæ cuncta &  
 iuris huius & æquitatis fundamenta subuertit,  
 ideoque vero Iurisconsulto viroque bono pro-  
 fus indigna. miror equidem vehementer & in-  
 dignè fero viri tanti cœcitatem tantam atque  
 tam crassam. quid? an Permutatio vel erit vel  
 dicitur vbi nihil est cum quo permutetur? per-  
 mutatio fit rei pro re, nec aliter vel nomē per-  
 mutationis esse poterit vel contractus esse per-  
 mutationis. vetus est verissimumque prouer-  
 bium, simia semper manet simia quantumlibet  
 induatur purpura. nec enim possunt cōtrahen-  
 tes peruertere proprias contractuum substan-  
 tias atque naturas, vt variis in locis vtriusque  
 iuris responsum reperitur; siue de deposito, si-  
 ue de societate, siue de locatione conductione,  
 siue de quibuslibet aliis contractibus tam no-  
 minatis quam innominatis quærat, siue de  
 pecca-

precario siue denique de quocumque rerum  
contrahendarum genere. l. 1. §. penult. & Lu-  
cius. π. depositi. l. si non fuerit in fin. π. pro  
prio. l. ex conducto. §. Papinianus vers. sed  
in π. Locati. l. insulam. π. de præscript verb.  
cum precario. π. de precar. de vsuris quoque  
liberiter D. Ambrosius ita loquitur, quod-  
cumque accedit sorti vsura est, & quod velis  
nomen ei imponas vsura est. c. plerique. 14. q. 3.  
Et ego dicam, si te beneficium permutare  
scias cum beneficio quod compermutanti scis  
de nullum, permutatio non est, sed vel est si-  
mulatione vel donatio vel gratificatio vel simile  
quod omni iure tibi prohibitum, quocumque  
eodem vocabulo negotium istud tuum desi-  
derare vel cohonestare contendas. deinde præ-  
terea aliorum hac in re criminum perpetra-  
tionem tum simulationis & mendacij fortassis  
tam scelus apertissimū, fraudulosissima simul  
ordinariis collatoribus iniuria per istiusmo-  
di permutationes fictas, vt qui iure suo liberè  
ut ferendi callidè & insidiosè defraudantur  
et homines istos qui successorio quodam vel  
hereditario quasi iure sanctuarium Dei possi-  
dere moliantur cū impiis illis & Atheis rerum  
sacrarum profanatoribus & vniuersi populi  
Dei sanctæque legis ac disciplinæ violatoribus,  
quos detestatur & abominatur Propheta Rex  
in illo psalmo vehementissimi zeli plenissimo  
initium Deus quis similis erit tibi? Nec  
perdo faciunt ad rem argumenta Rebuffi; quan-  
quidem quod ait compermutatem qui con-

tractum à patte sua impleuit posse compermutanti parcere vel ab eo nihil vicissim recipere, cum possit vnusquisque iuri pro se introducto renunciare nec volenti fiat iniuria, verum quidem est si modò permutationis contractus ab initio perfici potuerit; sin minus, ex donationis quidem causa quod acceptum est retineri potest, ex permutatione quæ nulla fuit non potest. nec vlla lex est quæ Rebuffo in ea sententia suffragetur. atqui beneficia ecclesiastica nequeunt ex causa donationis ab vno in alium transferri, sed legitimis i. canonicis deferuntur collationibus vel aliis provisionibus. Quod autem subdit Rebuffus idem, si partes inter se conueniunt quid ad iudicem? ineptè prorsus dicitur quando vel res in potestate contrahentium non est vel tertij cuiuspiam vertitur præiudicium, sicut in casu nostro beneficium non est in dispositione contrahentium immò grauissimum fieret præiudicium collatoribus ordinariis; ne quid interim nunc repetam de multiplici talis resignantis alio præterea scelere huic resignatio ni interueniente iamque satis inculcato. Medium igitur hoc Rebuffi non subtile, sicut ille putat, sed crassissimum, non iustissimum sed iniustissimum & impiissimum sceleratissimumque dici meretur, & ipsi quidem naturæ substantiæque permutationis repugnantissimum. Rectius multò Papo, vir alioqui Gallus & Gallorum praxi vehementer addictus, tamen agnoscit ingenuè, beneficium

cum non beneficio permutari non posse quamlibet sit aliquid aliud quod vicissim loco beneficij reddatur, & ita curiam Parisiensem iudicasse. lib. 2. Arrestor. tit. 7. c. 1. multò minus ergo posset valere permutatio beneficij cum nihilo seu vbi nihil est quod vicissim loco beneficij reddatur.

Succedit hinc alia quæstio magis dubia, de permutatione beneficij pinguis immò pinguis cum beneficio macilento seu tenui quoniam immò si sic liceat loqui tenuissimo. pone Homeriam Glauci & Diomedis permutationem sexto Iliados.

*Χρῆσα Χαλκείων ἐξατόμβοι' ἐννεαβοίων.*  
quæ stulta quidem sed iure tamen haud improbata creditur permutatio; cuius meminit Iurisconsultus in l. 1. ꝛ. de contrahend. empti. & vend. quam significat & Iustinianus in tit. ꝛ. diuersæ scholæ authores. Institut. de empt. & vendit. Nostri beneficiales practici rarius hanc in locis mouent quæstionem, ac ceteros insignis ille Ludouicus Gomezius in regulam Cancellariæ de infirmis resignantibus quæst. 19. quæ est de permutatione beneficiorum imparium. vbi notat obiter, permutationem beneficij cum non beneficio, fictam scilicet istam de qua præcedens erat quæstio, vocari vulgò permutationem beneficij cum beneficio de pertica; prouerbiali scilicet sermone, pro beneficio vel nullo vel quod compermutantis planè non est. Causa dubitandi de quæstione modò

b iij propo-

44  
Pinguis beneficij permutatio cum tenui valeatne.

45  
Beneficij de pertica; cui non absimile beneficij quod vulgo nullo dicitur. Equus conductitius, de quo paulò post.



proposita satis est evidens, quia licet hic vera res vtrunque interueniat, & permutatio vere nomen suum tueri possit, fraus tamen subesse videtur aliis, aliis non videtur. Permutationis nomen si spectes, omnia sunt protinus alba nihilque subest vitij; sin imaginariam potius beneficioli (quod vel parui vel nullius est fere momenti) redditionem consideres, in suspicionem res grauissimam cadit meræ gratificationis atque donationis aut liberalitatis aut etiam successionis, in huiusmodi rebus ecclesiasticis prohibita propter causas abundè declaratas. Itaque si senex quispiam ciliernus aut capularis opimo præditus beneficio cum nepote suo tenuissimum habente beneficium permutauerit, quotusquisque non suspensissimam haberet huiusmodi permutationem: sin inter pares ætate vel alioqui non coniunctos permutatio talis fiat, & quorum industria manifestè videatur alibi futura ecclesiis velior, si videlicet alter in alterius locum transferatur, vel hoc ille vehementer desideret qui beneficium reddit maius (in patria fortasse sua lubenter ac suauiter victurus) inæqualitas valoris beneficiorum permutandorum sola, nihil profusus vitij plerisque videtur adferre permutationi; neq; præsumptionis alicuius malæ (de fraudando scilicet ordinario collatore vel alio quocumque) satis idoneum per sese esse argumentum hanc beneficiorum commutandorum inæqualitatem. Reperiuntur in hanc sententiam defensiones aliquot ipsius Romanæ Curie seu iudi-

iudicium Rotæ; nimirum decisio 2. de præ-  
sumpt. in antiquis. decis. 2. de rer. permut. in  
antiquis. decisio. 2. & vlt. de rer. permut. in  
antiquioribus. Doctorū præterea nostrorum  
conformibus opinionibus accedentibus in c.  
1. de cler. non resid. & Gaufredo qui vulgo di-  
citur Collectarius ad hoc nostrum cap. nu. 23.  
Tirillauit hæc opinio posteritatem tam vehe-  
mèter, vt iam nihil ferme sit permutationibus  
istis frequentius. Attamen suspectissima mihi  
quidem certè semper hæc fuit sententia quoad  
membrum distinctionis posterius. nam nemo  
presumitur velle decrefcere vel Glauci stulti-  
tiam imitari d. c. i. s. de cler. non resid. id quod  
& Nicolaus Euerardus in locis legalibus vbi  
de communiter agit accidentibus nu. 7. breui-  
ter in hac eadem quæstione probat. Vnde præ-  
sumendum est, aliquid semper hulceris in ani-  
mis ita permutantium latere, vel pecuniis ni-  
mirum vel pactioibus interueniētibus, quod  
est simoniacum, vel ad amico liberaliter grati-  
ficandum collatoribus ordinariis iure suo de-  
modatis, quod est iniustum. Quanquam præ-  
sumptio hæc præsumptione cōtraria elidi po-  
terit si causæ quæpiam appareāt iustissimæ, cur  
quis beneficium alterius tenue videatur meritò  
preferre suo pingui. quod est rarissimum. Fa-  
tentur autem saniores omnes quotquot hac  
de quæstione disputant, inæqualitatem bene-  
ficiorum permutandorum vehementer ma-  
gnam, pluribus præsertim coniecturis acce-  
dentibus, efficere vt permutatio fiat suspecta

46  
*Quid si ma-  
 gna vel etiã  
 maxima sit  
 beneficiorum  
 permutando-  
 rum inequa-  
 litas.*

reddatur que nulla, veluti si ne vel pro tertia quidem parte beneficium vnus compermutantis respondeat prouentibus & emolumentis beneficij compermutantis alterius. quò pertinent elegãtes duæ decisiones Rotæ apud Thomam Fastolum. nimirum causa 6. dub. 11. & causa 31. dub. 60. Et hoc est quod Gaufridus loco superiùs memorato dicit, permutationem beneficij tenuis cum pingui valere nec fraudem posse impingi nisi cum omnia essent notabiliter (vt loquitur) inæqualia. solam scilicet inæqualitatem beneficiorum permutandorum, quantumuis magnam, non putant ad suspicionem fraudis inducendam sufficere, sed & ætatis inæqualitatem & personarum permutantium coniunctionem requirunt ad fraudem præsumendam. dico fraudem: quantumlibet enim nihil interueniat fortè simoniacum, fraus tamen semper fit ordinariis collatoribus, quæ toleranda non est: ad eò vt fructuum ex tali beneficio perceptorum restitutioni sit obnoxius quicumque sic eos fraudulenter percepit, exemplo eorum qui dum vitæ clericalis propositum non habent, beneficia nihilominus ecclesiastica possident, vt his ditati postea quærant ac ducant vxores c. commissa. de elect. lib. 6. debet nempe fraus & à beneficiorum permutacionibus abesse c. vnic. de rer. permutat. in 6. in verbis liberè ac sine fraude de quibus ibidem plenius paulò post agemus ordine suo. Sane si tanta sit inæqualitas beneficiorum permutandorum

47  
*Fructus ex be-  
 neficio frau-  
 dulenter ac-  
 quisito perce-  
 ptos esse resti-  
 tuendos.*

quanta fuit in permutatione Glauci & Diomedis, hoc est vt ne pro centesima fortè vel millesima quidem parte beneficium vnum alteri respondeat, vt si cum beneficiolo viginti vel etiam decem duntaxat florenorum annuorum permutetur beneficium quod sexcentorum vel nongintorum est annuorum similia florenorum, equidem, sine vel coniecturis vel præsumptionibus vllis aliis aut ætatis inæqualis aut consanguinitatis aut affinitatis vel alterius cuiuscumque coniunctionis, ex ea sola nudaque beneficiorum inæqualitate tanta permutationem censeo non valere, vt ac tanquam verè imaginariam quæ-  
uenummo videatur inita vnico, id est re vici-  
ssim præstanda quæ penè sit nihili. quod e-  
uidens est argumentum latentis anguis in  
herba seu fraudis geminæ, tum simoniacæ  
nimirum tum ordinario collatori præiudi-  
cialis & iniuriosæ, vel vt minimum poste-  
rioris huius vt maximè Simon Magus in fa-  
bula non fuerit. Iuris est enim notissimi  
venditiones vel alias alienationes quæ fiunt  
in fraudem iuris animo donandi, (quando  
donatio non est permessa) nullius esse mo-  
menti. l. vir vxori. 17. ff. ad SC. Vellian. l.  
si quis donationis. 28. in fin. ꝛ. de contra-  
hæd. empti. & vendit. l. si sponsus. 5. §. cir-  
ca venditionem. ꝛ. de donat. inter vir. &  
xor. l. penult. ꝛ. de leg. Iul. repetund. qua-  
ly omnino fraus & in imaginariis huiusmo-  
di beneficiorum permutationibus euidenter

48  
*Imaginaria*  
*beneficiorum*  
*permutatio,*  
*ubi benefi-*  
*ciolum nul-*  
*lius penè mo-*  
*menti recipi-*  
*tur pro simo-*  
*nioq.*

49  
*Contractus  
imaginarij.*

conspicitur, cum beneficia non donationibus eadem possidentium sed canonicis & iustis deferantur collationibus atque provisionibus. planè contractus imaginarij, quantumlibet absque fraude facti, tamen veri non sunt neque vires habent, siue venditio siue locatio siue societas siue quilibet alius inspiciatur contractus. l. nuda & imaginaria. 55. d. l. si quis donationis. l. cum in venditione. 36. 7. de contrahendi empt. & vend. l. qui per collusionem. 49. ff. de act. empti. l. sicut emptio. 20. l. si quis conduxerit. 46. 7. locati. l. societates. §. in fin. 7. pro socio. l. si quis ante. 10. ff. de acq. vel amitt. possess. l. contractus imaginarij. 54. ff. de obligat. & act. l. imaginaria. 16. 7. de reg. iur. l. empti fides. 9. C. de contrah. empt. & vend. certis tamen rebus expediendis venditiones imaginariæ solent adhiberi quòd aliter commodè negotium non posset expediri cum tamen id expediri vel summa desideret æquitas (vt in l. si usufructus. 66. ff. de iur. dot.) vel alioqui prisca rituum Romanorum ratio postulet, sicut olim in emancipationibus atque testamentis & fideicommissis. §. præterea. Institut. quib. modi ius potest. soluitur. §. 1. Institut. de testam. ord. §. restituta. & ibi Theophil. Institui. de fideicom. heredit. At, inquis, in permutatione proposita non vnus tantum nummus interuenit vel beneficiolum quod vnus dumtaxat est nūmi vel assis, cum florenos aliquot annuos valeat; ideoque permutationem talem non esse prorsus imaginariam. d. l.

ima gi-

imaginaria.  $\pi$ . de reg. iur. Respondemus, pa-  
 rum & nihil in iure nostro passim æquiparari.  
 l. illud quoque 7. §. 1. vers. minus.  $\pi$ . de tribut.  
 act. l. minus. 32.  $\pi$ . de verb. signif. quam in rem  
 plures allegat auctoritates Corneus Cõsil. 38.  
 lib. 1. & Socin. consil. 108. volum. 1. Sicut ergo  
 non potest esse cõtractus emptionis & vendi-  
 tionis absq; pretio vlllo, neq; contractus loca-  
 tionis & cõductionis absq; mercede vlla, neq;  
 cõtractus permutationis absq; re vlla recipi-  
 e dāda, sic etiā non potest esse emptio & ven-  
 ditio si nummus interueniat vnus nulla ex par-  
 te respondens æstimationi rerum vendenda-  
 rum, neque Locatio & conductio si mercedula  
 dūtaxat interueniat quæ nullo modo potest cõ-  
 parari cum vsu rei locandæ, neque permutatio  
 si res ab altero detur quæ nihil penè sit ad rem  
 ab altero datam. Quamobrem nugatorium  
 censentur ita contrahentes actum celebrare  
 voluisse arg. l. nō solum. 31. in fin.  $\pi$ . de oblig.  
 & act. nisi donandi animo sic eos contraxisse  
 constiterit, & ea donatio iure non prohibea-  
 tur. l. 3. & d. l. empti. in fin. C. de cõtrah. empt.  
 & vend. & d. l. si quis donationis.  $\pi$ . de con-  
 trah. empt. & vend. quō facit & l. vlt.  $\pi$ . pro  
 donato. Non tamen ex eo solo quòd imagi-  
 narius tantum sit contractus præsumetur ani-  
 mus donandi, sed aliter erit probanda donan-  
 di voluntas; vt optimè post alios adnotaue-  
 runt Iason in d. l. si quis. 10.  $\pi$ . de adquir. vel  
 amitt. possess. num. 25. & Hieronymus Ca-  
 gnolus in d. l. imaginaria.  $\pi$ . de reg. iur. nu. 12.  
 in fin.

50  
 Parū & Ni-  
 hil æquipa-  
 rari.

51  
 Animo do-  
 nandi cõtra-  
 ctus imagi-  
 narius quan-  
 do.

52  
Permutatio  
beneficiorum  
imaginarie  
donandi ani-  
mo facta.

53  
Beneficij ma-  
ximi cum par-  
uo permuta-  
tio quando  
valeat ; pro  
premissorum  
condimento.

54  
Beneficiola  
que vulgo  
nuncupantur  
Equi cōdu-  
ctitij ne ser-  
uiūt istis nun-  
dinationibus.

55  
Quid si mens  
permutatium  
beneficia sit  
ut alter per-  
mutationem

in fin. qua in re explicanda quidam Recētores infelicius versati fuisse depræhenduntur. Quoniam verò beneficia ecclesiastica donari nequeunt pro arbitratu possidētium, fit vt & eorū permutatio donationis causa fieri nequeat. Cæterum, si cum beneficiolo quod in titulum dari consuevit quodque sufficit alioquin ad mediocriter sustentandam hominis ecclesiastici vitam permutetur liberaliter beneficiū pinguis- simum, non ausim permutationem talem quasi vel imaginariam vel fraudulentam repro- bare vel ex hac inæqualitate sola suspectam ha- bere quātumlibet Glauci & Diomedis permuta- tioni vicinam. Cur enim benignitas cōper- mutantis improbetur? cur bonitas, cur libera- litas, cū nullius vel fraude vel iniuria cōiunctæ fraudes improbamus, benignitatē commenda- mus. Monēdi sunt hic obiter ordinarij benefi- ciorū collatores ne promiscuè beneficiolara- lia, quasi cōductitios equos quosdā, beneficia- libus istis nundinationibus inseruire patiātur.

Ex his non difficulter constitui potest quib- nam de beneficiorum permutatione tali sit ser- tiendum qua permutatēs ita sunt animo com- parati vt postquam alter eorum alterius benefi- cium acceperit, alter vicissim alterius benefi- cium non recipiat sed alter vtrumque retinet, altero videlicet alteri lubenter gratificanti, nulla tamen interueniente, dum permutatio- nis contractus iniretur, pactione vel conuēti- one vlla expressa de non vrgenda permutatione implatione. Res exemplo fiet illustrior. Quid

dam A mediocre possidet beneficium ecclesia-  
sticum: B tenue quoddam habet beneficiolum:  
vacat aliud beneficium vehementer opimum,  
cuius collator ordinarius id optaret conferre  
eidem A si modò eiusdem A beneficiū illud me-  
diocre deriuatū foret in eundem B citra bene-  
ficioli quod iam habet amissionē. Sed quia be-  
neficium illud illius A nō pertinet ad collatio-  
nem huius collatoris at alterius alicuius, res per  
collatorē hunc (vtriq; tam A quàm B gratifi-  
cari desiderantem) confici non potest. quod si  
verò A beneficiū illud mediocre suum resigna-  
ret in manus ordinarij sui collatoris eiq; com-  
mendaret hunc B, collator ille, præterito forsi-  
tan illo B cōferret illud alteri cuipiā. quid ergo  
remedij? simulat A permutationis causam cum  
B, vel etiam re ipsa permutationis cōtractum  
solemni more cum B init, sed ea tamen mente  
(sicut dictum fuit) vt postquā B acceperit hoc  
beneficium, A nō sit desideraturus vt vicissim  
sibi permutatio impleatur quoad alterius be-  
neficioli redditionem per B. Proculdubio talis  
permutatio tanquam vel simulata vel fraudu-  
lenta viribus destituetur. quando quidem qua-  
tenus est simulata nō potest esse vera sed minus  
quàm imaginaria (simulatum scilicet nihil ha-  
bet veri sed imaginarium saltem aliquid habet  
veri) quatenus est fraudulenta iniuriam adfert  
ordinario Collatori: itaque priore casu pro-  
fus erit nulla, posteriore erit iniusta. Quam-  
obrem alia ratione cōsulendum fuerit huic B,  
nimirū vel per collatoris ordinarij spōraneam  
volun-

non impleat  
sed vtrunq;  
beneficium  
retineat.

56  
Simulatiū &  
imaginariū  
differunt.



voluntatem, vel, illo recusante, per Summi Pontificis operam. Sanè si seriò vereque fuerit celebratus permutationis contractus, hoc est ea mente vt vicissim beneficium pro beneficio redderetur, sed post impletam ab altero permutationem tunc demum is qui eam impleuit alteri remiserit eius impletionē, verius est hanc remissionē non improbari cū nihil vnquam fraudis interuenerit contra collatorem ordinarium, atque liberum sit vnique iure suo non vti. sufficit enim cōtractum ab initio substituisse. Quemadmodū & in emptione ac venditione si de certo pretio cōuenerit ab initio, postea autem perfecto iam contractu pretium remittatur, contractus emptionis & venditionis nihilominus valebit & perdurabit, vt & alij contractus; quia propter hanc remissionē non censentur imaginarij sed quoad cetera nihilominus ex iis agetur d. l. empti. C. de cōtrah. empt. & vend. l. circa locationes. 19. C. de locat. & cond. l. si tibi habitationem. §. ff. locati. vbi si domus locetur & mox pēsio remittatur, nihilominus ex locato & conducto agendum esse respondet Ic. Attamen in beneficiorū permutatione remissio talis alium potest ac meritò debet animo remittētis gignere scrupulum seu coaggregationis seu accumulationis seu coaceruationis seu multiplicis seu pluralitatis (vt cum nostris loquar) beneficiorum fouendæ; cuius mali per huiusmodi remissionē fieret auctor & comprobator huiusmodi commutator tam liberalis, contra iuris omnis

57  
 Quid si contrahentis alter alteri remittat contractus impletionē, post contractum iam initum.

58.  
 Pluralitas beneficiorum quando permissa.

etiam nouissimo Concilio Tridentino renouati rationem. c. Reformationis 17. sess. 24. nisi tam tenue fuerit vnum beneficium vt ad vitam eius cui confertur sustentadam non sufficiat. quo casu permittitur aliud adhuc simplex beneficium sufficiens, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat, eadem conferri. Sed nõ moueamus hanc in præsentia quidem Camarinam. de qua præclare multa post D. Thomam Dominicus Soto li. 3. de instit. & iure. quæst. 6. art. 3. nostrique DD. ad c. de multa. s. de præbend. narrat Author fasciculi temporum, Anno Christi 1238. vehementer solemnẽ Parisiis habitam fuisse disputationem contra pluralitatem beneficiorum, ibique per sanctos doctores determinatum fuisse, Neminem sine periculo peccati mortalis posse tenere duo beneficia quorum alterum sufficeret ad vitam sustentadam; quosdam vero qui secus opinati contrarium fecissent, diuinæ iustitiæ flagello diuersis in locis horribiliter punitos. Cuius rei meminerunt & Chronica Francorum, & liber primus Apum Thomæ Cantipratenensis cap. 19. & Iacobus Meierus lib. 8. Annalium flandriæ, & nouissime Arnoldus Pontacus in sua Chronographia sub Pontificatu Gregorij noni harum Decretalium auctoris, ad eundem annum 1238. Sed horum factis; ad vltiora tandem pergamus.

Ait Pont. in *Turonensi Concilio.* de quo diximus in Proœmio nostro ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. & ex c. maioribus. s. de præ.

59  
*Parisiensis  
Doctorem de  
beneficiorum  
pluralitate  
definitio.*

de præbend. ne quid otiosè nunc repetamus.

Ait Pont. *In supplemento textus integri*; Sunt enim quidam qui præbendæ suæ cedunt & iuri renunciant, vt maiorem præbendam obtineant vel ex hoc certam summam pecuniæ consequantur: quod quidem honestati est contrarium, & simoniacâ proculdubio continet prauitatem. hætenus illud supplementû. quod seruit nobis non solùm ad intelligendum quænam vel qualis fuerit pactio de qua loquitur contextus reliquus, verum etiam ad perspiciendam permutationis beneficialis inhonestatem quantûlibet alia pactio pecuniaria nulla prorsus interueniat sed ad acceptandum beneficium aliud maius (quod aliunde fortassis offertur vacans) ea fiat resignatio. nam dum necessitas ad beneficium resignandum compellit (eo quod plura simul haberi temerique nequeant beneficia secundum ea quæ paulò superius breuissimè diximus) resignatio talis in manus ordinarij Collatoris fieri meritò debebat simpliciter, neq; permutationibus istis gratificatoriis esset indulgendum; prout ex variarum quæstionum superius disputatarum decisione patuit. quas quidem quæstiones & hæc de maioribus præbendis obtinendis clausula nonnihil illustrat, quatenus videlicet inhonestû dicitur esse propterea præbendas minores ex causa permutationis missas facere; cum potius essent simpliciter (vti modò dicebatur) apud ordinarios resignandæ; vt pote quorum est pro sua religione suoque iudicio conferre præbendas, & non

60

*Permutare beneficia, etiam sine pacto, inhonestum esse.*

istorum possessorum pro libito suo suis gratificari vel sociis vel amiculis vel nepotibus bone pauperum tum clericorum tum cæterorum fortasse nepotaturis & inutiliter luxurioseque dilapidaturis.

Ait Pont. *generaliter itaque teneas quòd commutationes prebendarum de iure fieri non possunt.* Generaliter, id est pro regula generali. cuius regulæ ratio multipliciter patet ex nostro proœmio, & abs qua regula subditur mox exceptio.

Ait Pont. *presertim cum pactione premissa.* Non temere nec otiosè videtur posuisse Pontifex illud *presertim.* quando quidem & sine pactionibus aliis vllis pecuniariis vel de pecuniis addendis permutatio beneficiorum per sese sola inhonestam continet nūdinationem iuxta superius in proœmio tradita, nisi consensus accesserit Episcopi; quemadmodū sequitur. Sed quid & hic simonia latet, in permutatione quæ fit absque cōsensu quidem Episcopi attamen pecuniis non interuenientibus? Ita sanè videtur bono illi doctori Martino Navarro in suo manuali confessoriorum c. 23. numero. in illatione tertia ex definitione declarationeque sua simoniæ. quoniam per huiusmodi permutationem quis vult dare (inquit) vel accipere aliquid pro quærendo aliquo spiritali quoddam pretium vel causam principalem & immediatam quærèdi illud licèt non sit pecunia vel pecuniis æstimabile, vt palàm est; licèt quæritur licitè sit, si fiat auctoritate superioris;

c quia

61  
An Simonia  
cū sit permuta-  
tare beneficia  
sine consensu  
Episcopi.

quia id iure permittente fit. Sic ille. cuius tamen opinio durior paulò quibusdam videri posset, neq; satis apertè per capitula hæc nostra quinque quæ suscepimus interpretanda probari, nec per alia etiam vlla denique iura. Sanè locus hic de pactione loquens præmissa quæ labem contineat semper simoniæ, de pecuniaria videtur pactione sumendus, cum & alias beneficiorum permutationes absque tali pactione præmissa factas generaliter improbet neque tamen illic simoniam semper esse præ se ferat. Cæterum nos id oportuniùs mox edisseremus ad cap. Cum olim. vbi de resignatione quæ fit in merum fauorem, de quæ beneficiorum permutandorum in æqualitate pecuniis pensanda simul disputabitur occasione permutationis beneficiæ auctoritate propria factæ, qua de illic agitur: quandoquidem in hoc præsens capitulum possemus videri ià fuisse fortassis æquo longiores.

62  
Spiritualia  
vel spiritua-  
libus connexa.

Ait Pont. circa spiritualia vel connexa spiritualibus. Quænam propriè spiritualia dicantur quæ verò connexa spiritualibus, latè prosequitur ex D. Thoma cæterisque Scholasticis fere doctoribus idem Nauarrus eodem c. 23. nu. 99. quam nos explicationem inde reperendam ad titulum de Simonia reuicimus.

Ait Pont. Si autem Episcopus causam insperarit necessariam &c. necessaria causa non excludit vtilem. sola nempe sufficit vtilitas euidens ecclesiæ permutationibus admittendis arg. commutationes. vers. non enim transit. in verb. aut vtilitate loci vel populi. cum seqq. cc. 7. 9. 1. Sed

Sed ecquid sola solorum permutantium sufficiat utilitas? Ita videtur; quando quidem causam translationis personarum hoc loco sufficere videmus hanc, vt qui vni loco minus sunt vtilis alibi se valeant vtilius exercere. quod vel vtilitatis alibi meliùs tuendæ vel amicitiarum sanctorum alibi & faciliùs comparandarum & feliciter fouendarum ratione frequenter accidit. id ipsum & ex c. Cùm vniuersorum. in verb. vtilitati vtriusque. hoc tit. satis apparet. Nec enim Pontifex hoc loco de solius ecclesiæ vel vtilitate vel necessitate loquitur sed in genere de necessitate vel vtilitate, siue sit vtrique communis tam ecclesiæ quàm personæ, siue soli ecclesiæ, siue soli personæ, peculiaris ac propria. Quamquam necessitas vel utilitas ecclesiarum proculdubio vel maximè spectanda venit, vt ex proæmio nostro constitit. Ad eò vt & inuita subinde transferatur; siue permutationibus maximè spontaneis interuenientibus, ita postulante videlicet ecclesiarum necessitate, siue vni atque rationibus aliis; vt omnes plerique Doctores hic attingunt. De priuata certè potissimum personarum loquebatur vtilitate Isidorus, cùm diceret mutationem loci cõuersis interdum valere pro salute suæ animæ: plerumque enim loco mutato mutari mētis affectum. congruum itaque esse inde etiam corporaliter nulli vbi quisque illecebris deseruiuit. nam locum vbi quisque prauè vixerit in aspectu mentis apponere quod sæpe ibi quisque cogitauit vel gessit. c. valet interdum. dist. 81. Quidsi de

c ij      loco

63  
Sola solorum  
permutantium  
utilitas an sit  
causa suffi-  
ciens ad per-  
mutationes  
admittendas.

64  
Inuita permutatio translatioque.

65  
Mutatio loci subinde perutilis ac necessaria.

66  
Permutatio  
beneficiorum  
eiusdem Ec-  
clesie an pro-  
pria fieri pos-  
sit auctori-  
tate.

loco mutando non agatur, sed permutatio be-  
nificiorum fiat in vno eodemque loco & qui-  
dem in vna eademque ecclesia? putat Innocen-  
tius III. permutationem talem auctoritate  
propria fieri posse, si modò nullum sit onus dis-  
par beneficiis his permutandis annexum sed  
eodē censeantur iure; quasi tunc alienatio nul-  
la fiat. arg. l. vnum ex familia. 67. π. de leg. 2.  
Quam sententiā rectè refellunt alij, propterea  
quod spiritualia vel spiritualibus annexa per  
per priuatos in commercium deduci nequeat:  
Innocentij tamen sententiā defendi posse si  
non tituli beneficiorum sed ipsa prædia sepa-  
ratim singulis beneficiis applicata permuten-  
tur inter eiusdem ecclesie canonicos. quæ limi-  
tatio ratione non caret, quia propriè benefi-  
ciorum permutatio non esset. Illud in genere  
monendum videtur ex Ioannis Andreae in hūc  
locum Nouella, propter solam solorū permuta-  
antium vtilitatem permutationes paruorum  
quidem beneficiorū non difficulter admitren-  
das esse, sed permutationes magnorum benefi-  
ciorum seu magni in ecclesia momenti non nisi  
propter ecclesie vel necessitatem vel vtilita-  
tem vel certè vix aliter esse recipiendas & ap-  
probandas. At receptui tandem canamus.

67  
In magni mo-  
menti benefi-  
ciorum permuta-  
tiones ex vti-  
litate sola pri-  
uata non fa-  
cile esse ad-  
mittendas.

68  
Integer con-  
textus cap.  
cum olim.

CAP. CVM OLIM. 7. de rer. permut.  
Innocentius III. Senoñ. Archiepiscopo  
& præposituram adinuicem commutauerunt,  
magistri eiusdem obtentu causam super hoc tunc  
mimo.